



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vitae Sanctorvm

Lippeloo, Zacharias

Coloniae Agrippinæ, 1603

Martyrivm S. Eadmvndi Regis Angliæ: Ex eo quod est per Abbonem
Flriace[n]sem Abbatem. Passus est anno Christi 870. Regni verò sui 16.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42787

Nota quod etiam dele. Eius pauperum haberi possit. quibusuis, pro facultate, pauperibus elemosinas largiretur; delectum tamen eorum quos Xenodochij domicilio donabat, perquam diligentem agebat: ijs videlicet potissimum assumptis, quos vel Christianæ religionis studiū præcæteris commendabat, vel affecta valetudo ad maiorem misericordiam tribuendam provocabat.

Manibus vestem sibi comparat. Vestem à magistro Conrado colore accepit nativo; textu rustico; valore admodum vili abiectoque. Porro lanificio operam dans, victum inde quæstuarium procurabat, cunctis Regum delicijs sibi gratiorem. Qua in paupertate degentem, missus ex Hungaria Comes cum non sine stupore vehementi inuenisset, tentaretque ad opes natalis soli reducere, affirmans eo se nomine illuc missum à patre, nequaquam tamen illis Elizabeth est mota, sed constanter in illo suo paupertatis amore permansit; & multis miraculorum à Deo decorata virtutibus ac signis tandem inter puelli Iesu nati magnalia placidè obdormiuit in Domino: anno Religionis nostræ 1231. tertio decimo Kal. Decemb. Quam mox plurimis coruscantem miraculis, quarto postquam decesserat anno, Gregorius IX. Diuarum catalogo dignissimam censuit,

Obitus eius felicissimus.

Vide Tom. 10 C. Baron. & Notat. in Martyrol. Rom.

MARTYRIUM S. EADMVNDI REGIS Angliæ: Ex eo quod est per Abbonem Floriacensem Abbatem. Passus est anno Christi 870. Regni verò sui 16.

2 e. Nouè.

EADMVNDVS Eastengle prouinciæ Rex nobilissima antiquorum Saxonum prosapia ortus, à primæuo ætatis suæ tēpore, cul-

cultor extitit fidei Christianæ veracissimus. Qui a tavis Regibus editus non tantum ex generis successione, sed multo magis quod bonis polleret moribus, effectque specie imperio dignissima, ad summum illud honoris culmen, unanimi procerum omnium favore, euectus fuit. Ea vero regie dignitatis amplitudine inauguratus, inter suos coætuos mirabili mansuetudine dominus, absque vlllo fastu superbiæ residebat. Erat in eo tam excellens virtutum omnium præsidium, ut cunctis suis subditis mirifice charus esset, eiusque studijs & vigilantia, conspicuis admodum bonorum actuum ornamentis Ecclesia illa emineret.

*Dotes animi
& corporis.*

Hanc vero tantam Ecclesie pacem, inimicus omnis boni dæmon, inuidens duos malitię sue satellites excitavit egregios: Inguar & Hubbã, qui coniunctis nefaria conspiratione animis, totius Britannie fines exterminare aggressi sunt. Itaque furibunda mente, infesta in *Nordanhumborum provinciam signa inferentes, eam graui & miseranda valde depopulatione peruagati sunt. Cumque obuia quaque loca flammis cremassent, & nulli omnino ætati vel sexui immani crudelitate pepercissent, tandem Eadmundum quoque Regem ad necem Inguar tyrannus inquirere cœpit. Morabatur is eo tempore in villa quadam, quæ lingua eorum Hagilisdum dicitur. Eo confestim barbarus vnum e suis direxit commilitonibus; qui Regi flammam ferrumque & acerbissimos denique cruciatus minitaretur, nisi antiquos thesauros & paternas diuitias, sub eo deinceps regnaturus, diuideret. Eo tam subito atrocique nuncio percussus Rex,

Inguar

Hubbam

Danorum

Duces, deprimuntur

Britanniam.

**Nordanhumborum.*

brorum.

Persequuntur Regem.

confestim vnum è suis Episcopis in consilium adhibet, vt quid facto opus esset maturè cognosceret. Antistes de Regis vita magnoperè sollicitus, deditiōnem faciendam consuluit.

*Episcopus
contulit Regi
Ingram, aut
deditiōnem.*

Nam, inquit, nisi fugæ præsidio, aut infausto deditiōnis patrociniō præcaueas, mox aderūt tortores, quorum nefando obsequio pœnas lues. Ad ea Rex beatissimus: Hoc est, ait, quod desidero, quod votis omnibus antepono: ne

*Ille constan-
ter abnuat.*

charissimis meis fidelibus quos truculentus pyrata ferro trucidauit, superstes inueniar. Et quid suggeris, vt in extremis vitæ desolatus meo satellite, fugiendo crimen inferam gloriæ nostræ? Hæc cum Antistiti dixisset, tandè con-

*Obseruare
sp̄sem quod
Legato ex
ranni dat.*

uersus ad eum, qui de cōditione regni locuturus ab impijssimo Inguar missus fuerat, Madefactus, inquit, meorū cruore, mortis supplicio dignus extiteras: sed planè Christi mei exemplum sequutus, nolo puras cōmaculare manū; qui pro eius nomine, si ita cōtigerit, libèter paratus sum vestris telis occumbere. Ideò pernici gradu rediens festinus, domino tuo hæc responsa perfer quantocyùs: Benè filius diaboli patrem tuum imitaris, qui superbiendo intumescens cælo corruit: & mendacio suo humanum genus inuoluere gestiens, plurimos suæ pœnæ obnoxios fecit. Cuius sectator præcipuus, me nec minis terrere præuales, nec blâdæ perditionis lenocinijs illectum decipies: quæ ex Christi institutis inermè reperies, Theluros & diuitias, quas nobis hætenus propitia contulit diuinitas, sumat, consumat tua insatiabilis auaritas: quoniam etsi hoc corpus caducum & fragile confringas veluti vas fictile,

*Præclara
vox in Rege.*

vera

vera libertas animi nunquam tibi vel ad momentum suberit.

Vix sanctus verba compleuerat, & renūciaturus miles pedem domo extulerat, cum ecce. Inguar obuius, breuibus responsa Regis pandi iubet. Quæ ille dum exequitur, tyrannus circumfuso protinus milite solum Regem quem suis legibus rebellem iam cognouerat, teneri imperat. Tum sanctus Rex proiectis in palatio armis, vt membrum Christi capitur, & vinculis arctioribus constringitur; cupiens eius insistere vestigijs, qui pro nobis omnibus immolatus est hostia. Vincitur itaque multis modis illuditur; ac tandem fustigatus acri instantia, ad vicinam quandam perducitur arborē; ad quam religatus flagris diutissimè vexatur dirissimis; sed vno Christi nomine constanter inuocato, nequaquam vincitur. Qua re aduersarij in furorem versi, quasi ludendo ad signū, toto eum corpore sagittarum iaculis confodiunt; crebrisque telorum iactibus vulnera multiplicāt, donec terebratis spiculatorum circumfossus aculeis palpitas horreret. Cumque nec sic Inguar furcifer eum lanistis assensum præbere conspiceret, Christum inclamantem iugiter; licitori mandat protinus, vt caput ei amputet. Ille seminecem, cui adhuc vitalis in tepido pectore palpitabat calor cruento stipiti auellit festinus; auulsumque resectis costarum latebris præpunctionibus crebris, caput quod semper regali diademate fuerat insignis iubet extendere. Cumque staret micissimus, diuinis intentus beneficijs, spiculator arrepto mucrone ceruicem illi vno ictu præcidit: sicq;

*Rex sanctus
capitur, &
multis sup-
plicijs affici-
tur.*

*Caput ei am-
putatur post-
plurima tor-
menta.*

N n. 5 cum

cum palma victoriæ & corona iustitiæ , Rex & martyr cælestem curiam gloriabundus intravit.

Cuius corpus ita truncum & aculeis hirsutum Dani illi relinquentes , caput in sylvam Hagilefdum asportârunt : & inter densa verprium fruteta lōgius proiectum occuluerunt : id omni sagacitate elaborantes , ne à Christianis , quos vix paucos reliquerant , sacratissimæ martyris reliquiæ , honestæ traderentur sepulturæ . Verumenimverò quanculacunque reddita Ecclesijs pace , Christiani de latebris confurgentes , corpus quidem sanctissimi Regis adhuc sub dio positum facile inveniunt : sed caput in inuia silvarum delatum repertu difficile fuit . Spe tamen recuperandi tanti thesauri nullis pepercere laboribus ; sed collecta plurimorum multitudine , densitatem saltus studiosè lustrârunt ; lustrandoque non sinè ingenti & inaudito planè miraculo inveniunt . Cum enim socij diuisim inuia quæque penetrârent , & alter ad alterum subindè clamaret , Vbi es ? sacratissimum caput (res sanè dictum mirabilis) patria lingua prorupit in vocem , Her , Her , Her . Nec vnquam eadem repetendo clamare destitit , quoad omnes ad se perduxit . Cui miraculo rerum conditor aliud annexuit , dum cælesti thesauro insolitum custodem dedit . Quippe immanis lupus eo loci diuina miseratione est repertus ; qui sacrum illud caput inter brachia complexus , procumbebat humi ; excubias impendens martyri . Nec sibi depositum quampiam bestiarum permisit lædere ; quod inuiolabile so-

Caput à cernicibus abscissum loquitur.

Caput seruatur ab immani lupo.

Lupus idem

lorenus prostratus, oblita voracitate, servabat attentius.

sacras reliquias ad sepulchrum

Assumentes igitur unanimi devotione inestimabilis precij margaritam, cum profuso pro gaudio lachrymarum imbre retulerunt ad corpus, prosequente usque ad locum sepulchri lupus, earundem reliquiarum custode & baiulo.

prosequitur & En miraculum infigne.

Qui eis a tergo imminens, & quasi pro credito pignore lugens, postremo nota dilectae solitudinis secreta illæsus repetijt; nec ulterius ijs in locis tam terribili specie lupus apparuit. Cæterum capite corpori iuncto, utrumque pariter competenti mausæolo condiderunt; quod post longissima temporum interualla, ita sanum & incolume repertum est, ut non dicam caput redintegratum, suoque corpori compaginatum, sed omnino in eo nihil vulneris, nihil cicatricis apparuerit.

Obseruet autem hic studiosus lector, quod cum Eusebius quatuordecim ponat interdictæ persecutionis annum, hanc esse causam, ut in multis alijs contingit: quod licet Dioclet. &

CERTAMEN GLORIOSI MARTYRIS

Agapij: Ex Eusebii Casariensis Ecclesiastica Historia lib. 8. cap. 16. Passus est anno persecutionis Diocletiani 4. iuxta Baronium annal. Tom. 2. Anno Christi 305. Marcelli Pap. 2. Constant. & Galer. Imp. 2.

Max. imperio se abdicassent, cum hic martyr patretur; nihilominus captus eorum edictis persecutio, eorumdem nomine dici perseveravit. quod Baron. frequenter in Annal. commemorat.

QUARTO anno persecutiõis in nos graffantis, ad duodecimũ Kal. Decemb. hoc est, vigesimo die mēsis qui Dius vocatur; die Veneris; in eadem vrbe Cæsarea, tale facinus, dignum reuera quod literarum monumentis commendetur, ipso tyranno Maximiano presente (qui eodẽ die, qui natalis suus dies erat, spectacula populo, magno cũ apparatu ac sumptu edebat) patraturũ fuit. Et quia cõsuetudo inue-

*20. Nouẽ. * al. Maximo.*